AD QVODLIBETARIAM.

QVAESTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XI. FEB. NICOLAO ELLAIM DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

An dyſenteriæ venæ ſectio?

ALVORIS alui vt variæ ſunt differentiæ & cauſæ, ita diſſimilis curatio. Cuius morbo, vel etiam Symptomati, contrarium remedium opponendum. Quod futurum eſt irritum, niſi cauſa tum externa, tum interna priùs ſummoueatur. nec ſolùm ab iis, ſed etiam ab adiunctis curandi ratio diuerſa deſumitur. Sic cacochymiæ purgatio, plethoræ phlebotomia rectius decernitur. Si febris adſit, vel inflammatio, aut dolor vrgeat, phlebotomiæ locus potior eſſe debet. Neque tum alui profluuium (niſi forte criticum) viribus permittentibus eam diſſuadere poteſt.

QVALISCVMQVE ſit fluxus, tribus generibus comprehenditur. Si nihil ab aluo mutatus cibus deiiciatur, λειεντερία eſt, communis ventriculo cum inteſtinis: quæ ſi morbum longum frigidiorum humorum alumnum ſequatur, ſpem ſalutis adimit. Si ſanguis, multiplicem parit dyſenteriam: nimirum αἱματηρὸν mutilis familiarem: melancholicam ſplenicis ſalutarem: hepaticam prorſus lethalem: & inteſtinalem cuiuis ætati, ſed maximè puerili & ſenili calamitoſam. quòd ſi frequens adſit, & liquida cæterorum humorum deiectio, Diarrhoea eſt, quæ vel defectu ἀναδόσεως, vel confluxu materiæ copia aut qualitate peccantis excitatur.

DYSENTERIA, quæ ab affecta ſede nomen habet, omnium moleſtiſſima eſt, vt quæ cæteras doloris vincat acerbitate, nec vllis cedit periculi magnitudine. Nihil eſt aliud quàm ἕλκωσις inteſtinorum nunquam expers doloris, & quæ non rarò inflammationem, ſæpiſſimè febrem inducit. hæc autem nonnunquam ab externis cauſis, vt prauis alimentis, & acribus pharmacis, ſæpiùs ab internis, vtraque bile, aut ſalſa pituita ducit originem. Sed hæc mulieribus, illa viris frequentior: vtraque contagionis particeps & popularis: maximè verò per æſtatem, ſi aquiloniam hyemem ver auſtrale conſequatur.

TAM atrocis mali periculum colligitur ex parte affecta, vlceris magnitudine, humoris ſpecie, & interdum ab excretis & Symptomatis. Vlcus, ſi gracile aliquod inteſtinum occupet, præſertim ieiunum, vix coaleſcit: idem ſi craſſum penitiùs depaſcatur, ita vt ἐφελκίδας abiiciat, lethale: ab atra itidem bile ſi ortum ducat non minus quam occultus Cancer exitioſum: quoad Symptomata, longè grauior eſt dyſenteria, quæ cibi faſtidium inducit, quæ bilis vomitum coniunctum habet, quæ cum febre inuadit & perſeuerat: quæ naſcitur ab inflammatione præcordiorum, quæ varia promit proditque excrementa, quæ demùm ſequitur abſceſſum meſenterij: quamquam hęc non prorſus deſperanda.

QVÆCVMQVE ſanabilis eſt dyſenteria, ſiquidem intempeſtiuè ſupprimatur, abſceſſum facit. Eius curandæ initium ſumi debet ab humoris peccantis vacuatione. Cui ſcopo nullum quidem rheo præſtantius remedium. Cui tamen ſenna interdum, caſſia aut Catholicum vtilius præferetur. Quòd ſi febris adſit, vel inflammatio, dolorque ingens, & corpus plethoricum, phlebotomia longè tutiùs pręmittetur, vt quę non ſolum minuat plenitudinem, ſed etiam febrem & inflammationem extinguat, dolorem mitiget, bilis impetum reprimat, fluxum denique ipſum cohibeat: eaque ſępius magno ſucceſſu repetenda: qua pręmiſſa locus erit commodior purgantibus medicamentis & adſtringentibus enematis, epicerasticis, hypnoticis, narcoticis dolorem ſedantibus, balneis contemperantibus, diureticis deriuantibus (exceptis ſpadenſibus) cęteriſque tum medicamentis intemperiem corrigentibus, tum crebris alimentis, quę vires inſtaurando, morbo ſimul aduerſentur.

Ergo dyſenteriæ venæ ſectio.

Aſſerebat IOANNES PIETRE Pariſinus, anno ſalutis 1610.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Dionyſius Guerin.
M. Iacobus Lætus.
M. Ioannes Riolant Prof. Reg.

M. Andreas le Gros.
M. Ioannes le Mercier.
M. Michael Toutain.



M. Simon Pietre.
M. Georgius Cornuty Decanus.
M. Claudius Bouyn.